



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

Cap. X. S. Hyginvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

A. CXLII.

TELSPHORVS, natione Græcus, ex anachoreta, sedit annos II. menses 3. dies 22. Fuit autem temporibus Antonini & Marci. Hic 4. nonas Ianuarii martyrio coronatur. * Hic in decretis suis statuit firmiter, vt omnes clerici in sortem Domini vocati 7. hebdomadas plenas ante Pascha à carne ieiunent: & vt clerici nullatenus laicos in sua pulsatione, aut accusatione recipiant, sicut & ipsi laici iuxta secularem legem clericos in suis infamationibus recipere nolunt. Constituit etiam, vt in sancta nocte Natiuitatis Domini nostri Saluatoris Missa celebretur, & hymnus angelicus, id est, *Gloria in excelsis Deo* sollenniter decantetur. Reliquis autem temporibus ante horam diei tertiam Missam celebrari prohibuit, quia & ea hora Dominus crucifixus, & Spiritus sanctus super Apostolos descendisse legitur. Præcepit etiam omnes accusationes, quas seculi leges non admittant, ad accusationem Ecclesiasticam non admittendas esse. Hic ordinauit Episcopos 13. presbyteros II. diaconos 8.

*² epist. ad omnes.

6. statuiimus. dist. 4.

De cons. dist. 1. e. nocte sancta.

3. q. 5. e. accus.

CAP. X.

A. CLIV.

S. HYGIVS.

* Veri.

² ep. 1. ad omnes fideles.

2. q. 7. c. criminationes.

HYGIVS, natione Græcus, ex Philosopho de Athenis, cuius genealogiam non inueni. sedit annos 4. menses 3. dies 8. Fuit autem temporibus * Seueri & Marci, à consulatu Magni & Camerini vsq; ad Orfitum & Prifeum, qui tertio Idus Ianuarii migravit ad Dominum. Hic composuit clerum, & distribuit gradus. ^a Hic in fide Christi nos instruxit multis & firmis documentis diuinæ scripturæ, ostendens, nec Patrem præcessisse filium, vt maior sit filio, nec filium postea natum, vt deitate Patris minor esset. Hic etiam constituit vt nullus Metropolitanus absq; cæterorum prouincialium præsentia aliquorum audiat causas Episcoporum, quia sic actæ irritæ erunt. Constituit etiam, vt maiorum natu criminationes non per alios fiant, nisi per ipsos, qui crimina intendunt. Qui etiam peregrina iudicia habenda prohibuit. Hic ordinauit Episcopos 6. presbyteros 15. diaconos 5.

CAP. XI.

A. CLVIII.

S. PIVS.

² ep. 2. ad Italicos.

PIVS, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de ciuitate Aquileia. sedit annos 19. menses 4. dies 3. Fuit autem temporibus Antonini, à consulatu Clari & Seueri. Qui 5. Idus Iulii factus est de medio. ^a Hic firmiter decretis suis statuit, vt omnis, qui præ-

dia di-